THESES THEOLOGICAE COMPLEXAE DOCTRINAM S. FRANCISCI SALESII CONSONAM CUM...

Philippe : de Vos, Jean Baptiste de Corduanier

Digitized by Google

34. 3 D 1.

Digitized by Google

THESIS PROOEMIALIS

MIrum in modum placet huic autori, ut certè præ ſe fert, ubi vel in ſpeciem videtur ſavère, doctrina *S. Franciſci Saleſii*, ut conſtat, tum ex Theſibus, quas prolixiores edidit de charitate 1. Julii 1683. tum ex iis, quas contra Anti-theſes meas placuit concinnare, 10 Martii 1684: ubi dicit, non fore opus de quæſtione quâdam momenti non exigui diſputare, ſi cum Viro illo ſanctiſſimo admitterem obligationem amandi Deum ſuper omnia à primo inſtanti uſus rationis, de quo tamen non fuit litigium. Placet & mihi, placet & bonis omnibus, placet & Eccleſiæ Catholicæ, quæ eam extollit, & laudat encomio præclariſſimo. Neque mirum: quis enim non libenter vivat, & moriatur in doctrina, & fide viri illius (neque enim eſt, niſi fides unica, in qua omnes, quotquot ſunt electi, ſalvi fiant) qui ad tam eximiam vitæ ſanctimoniam pervenit; qui in vita Epiſcopali infulâ digniſſimus, ultimus Gebennenſium Præſul, hæreticorum Calviniſtarum, ſeu Huggonotorum, ut in Gallia dicuntur, Malleus, pro vera doctrina, & fide Catholica, pro Apoſtolica Sede, & autoritate Romanorum Pontificum contra novas hæreſes murum ſeſe oppoſuit plùs, quàm ahenenum. Unde *inſuperabili conſtantiâ, Deique ope protectus, ſeptuaginta duo millia hæreticorum ad Catholicam fidem reduxiſſe dicitur*: ut canit Eccleſia in ejus Feſto: Doctrinam verò ejus hoc laudat præconio: *ſuis itaq; ſcriptis, COELESTI DOCTRINA refertis, Eccleſiam illuſtravit, quibus iter ad Chriſtianã perfectionem tutũ, ac planũ demonſtrat.* Placuit igitur oſtendere, doctrinã noſtram *COELESTI* illi *DOCTRINÆ* omninò eſſe conformem, ſimulque, quàm parum ei conſona ſit doctrina illius autoris, qui noſtram Theſibus pluribus oppugnavit, ſed inutili conatu, veritate Autoritate Sedis Apoſtolicæ confirmatâ, uſque prævalente.

THESIS I.

Cæleſtis doctrina S. Franciſci Saleſii *ſtat pro doctrina noſtra de electione Sanctorum ad Gloriam poſt prævisa merita ſupernaturalia, quam variis Theſibus oppugnat autor ille.*

INcipimus ab inſcrutabili providentia Dei, quâ Sanctos ſuos prædeſtinat electione ſpeciali ad gloriam; de prædeſtinatione ad 1am gratiam non agimus; hanc enim certum eſt fieri omninò gratis, ante omnem prævisionem meritorum. Cenſuit verò S. Franciſcus Saleſius, electionem illam ad gloriam factam eſſe poſt præviſa abſolutè merita ſupernaturalia: hæc eſt eius doctrina cœleſtis, quam innuit in cœleſti ſuo tractatu de amore Dei, ſed potiſſimùm in cœleſti illa Epiſtola, (eodem enim Spiritu conſcripta eſt) quam anno 1618. 27. Auguſti dedit ad R. P. Leſſium: quem ſummè amabat, & æſtimabat ob inſignem Viri eruditionem, & vitæ ſanctitatem.

Placet igitur in rem noſtram hanc Epiſtolam hic præmittere, quam manu propriâ 12 Sept. 1683. deſcripſi ex autographo, quod in theca argentea aſſervatur Antuerpiæ in domo profeſſa Societatis JESU, ex quo deſcribendam mihi tradidit R.P. Daniel Papebrochius. Facio autem id eò libentiùs, quòd Vir ſanctiſſimus vixerit eo tempore, quo tantoperè turbata fuit Eccleſia articulis illis 79. vulgo Baianis, eamque conſcripſerit Epiſtolam diu poſt latam, duce Michaële Baio, etiam ſuper hac doctrina Cenſuram Lovanienſem, & eliſam à Sede Apoſtolica per Sixtum V: ſic porrò ſcribit:

Digitized by Google

Admodùm Reverende in Chriſto Pater.

ATtulit mihi Paternitatis veſtræ litteras dilectiſſimus nobis Magiſter Gabriel , quæ,ut perhonorificæ , ita & jucundiſſimæ mihi fuerunt. Amabam jam pridem,imò etiam venerabar te,nomenque tuum , mi Pater , non ſolùm quia ſoleo,quidquid ex veſtra illa Societate procedit , magnifacere , ſed etiam , quia ſigillatim de veſtra Reverentia multa audivi præclara primùm,deinde vidi , inſpexi , & ſuſpexi. Vidi namque ante aliquot annos opus illud utiliſſimum de juſtitia , & jure , in quo & breviter ſimul , & luculenter difficultates illius partis Theologiæ , præ cæteris authoribus,quos viderim , egregiè ſolvis. Vidi poſteà Conſilium , quod à magni Conſilii Angelo per te mortalibus datum eſt , de vera religione eligenda : ac demùm obiter vidi in bibliotheca Collegii Lugdunenſis tractatū de prædeſtinatione, quamvis non niſi ſparſim , ut fit , oculos in eum injicere contigerit , cognovi tamen , Pater. Veſtram ſententiam illam , antiquitate , ſuavitate , ac ſcripturarum nativâ authoritate nobiliſſimam de prædeſtinatione ad gloriam poſt præviſa opera amplecti, ac tueri ; quod ſanè mihi gratiſſimum fuit , qui nimirùm eam ſemper , ut Dei miſericordiæ , ac gratiæ magis conſentaneam, veriorem , ac amabiliorem exiſtimavi ; quod etiam tantiſper in libello de amore Dei indicavi. Cum igitur ita erga Paternitatis Veſtræ merita, quam dudum laudaverant apud me opera ejus , affectus eſſem, mirificè profectò gaviſus ſum , me tibi viciſſim utcumque etiam charum eſſe ; quod ut ſemper contingat , & dictum Magiſtrum Gabrielem commendatiſſimum habebo, & ſi quid umquam potero, quod tibi placere cognoſcam , id exequar quàm impenſiſſimè. Valeat interim R.da Paternitas tua, & te Deus uſque in ſenectam, & ſenium nunquam derelinquat , ſed canos tuos benedictionibus cœli ornet,& compleat. Anneſſi Gebennenſium 27. Aug. 1618.

Admodum R.dæ Paternitatis veſtræ

Humilis, & addictus frater, ac ſervus in Chriſto

Franciſcus Epiſcopus Gebennenſis.

THESIS II.

Cœleſtis doctrina S. Franciſci Saleſii *nobiſcum contra hunc autorem docet, dari omnibus hominibus media ad ſalutem ſufficientia.*

PLuribus Theſibus doctrinam illam propugnavimus , pluribus eam oppugnavit autor ille , uſque adeò ,ut Theſibus 18. feb. 1684. defenſis,concluſ. 5. auſus fuerit aſſerere, quód propoſitiones,negantes neceſſaria neceſſitate medii præter ea , quæ viribus naturæ haberi poſſint , mirè conſentiant doctrinæ , quâ dicitur, omnibus dari gratiam ſufficientem ; alibi dicit,non eſſe opus orare , ſi ea detur omnibus ; alibi gratiam non fore gratiam ; alibi per contemptum vocat moliniſticam &c. At aliter ſentit,& loquitur S. Franciſcus Saleſius. Audiamus.

L. 2° De amore Dei cap. 7. oſtendit" quàm ſit mira providentia divina in diverſita- "te gratiarum , quas hominibus benignè elargitur... abundanter gratias,& benedictio- "nes ſupra *omne* genus humanum... copioſiſſimè effundens... unde *omnes* ſint inex- "cuſabiles coram Chriſto ſalvatore noſtro, qui abundantiſſimâ hac redemptione pro ſua "ſalute conſequenda non bene uſi ſunt. Tum

Digitized by Google

Tum monet Theotimum "ne ſe ſinat capi curioſitate: nam cum *ſufficientia*, imò & "abundantia ad ſalutem conſequendam adſint media: quid cauſæ aut rationis habet "mortalium aliquis quærendi, cur viſum fuerit Deo, uni largiùs, alteri parciùs ſuam "impertiri gratiam:" cenſet igitur, omnibus, offerri media ſufficientia.

Cap. 8. oſtendit "quantoperè Deus deſideret, ut ſe amemus, & amando, æternùm "ſalvemur, addendo mandatum: *diliges Dominum Deum tuum* &c" ut autem hoc rectè "exerceatur, neminem noſtrum ſinit eſſe abſque abundantiſſimis mediis, ad eum effec-"tum conſequendum.

Rem declarat exemplo "ſicut ſol viſibilis ſuo vivificante calore attingit, & recreat "omnia... eodem modo divina bonitas *omnes* erigit animas, omniaque corda excitat ad "ſuum amorem: nec homo, *quiſpiam*, quicumq; tandem ille ſit, abſconditur à calore illius."

Pergit dein probare, quòd illa gratia ſæpiùs, præſertim in obſtinatis non ſortiatur effectum, ad quem à Deo datur, ob contumacem contemptum peccatoris:" non aliò iſta "ſpectant Theotime, quàm ad docendum, quòd Deus non ſolùm de ſimplicibus, & ſuffi-"cientibus mediis ad ſe amandum, & ut, amando eum, ſalvemur, nobis proſpiciat, ſed "& de uberrimis, ampliſſimis, magnificentiſſimiſque. Apoſtolus loquens de obſtinato, ſic "ait: *an divitias bonitatis, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras, quoniam "benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Theotime, Deus non ſimplicem, & nudam "mediorum ſufficientiam ſuppeditat, ad convertendos obſtinatos, ſed & effundit divitias "bonitatis ſuæ... certè hæc copioſa, cumulata, & affluens mediorum ſufficientia, quam "Deus peccatoribus elargitur, clara eſt, & paſſim invenitur in omnibus ferè ſacris lit-"teris. Videbis Deum noſtri amantiſſimum ad portam non ſimpliciter pulſantem, ſed "hærentem, ut inde evocet animam: *ſurge, propera amica mea* &c.

THESIS III.

Cæleſtis doctrina S. Franciſci Saleſii *nobiſcum contra hunc authorem docet, non omnem gratiam eſſe per ſe, & intrinſece efficacem, ita ut omnem ſemper habeat effectum, ad quem à Deo datur: eſſe & merè ſufficientem, quæ ex pervicacia voluntatis non ſortiatur effectum, quem alteri data ſortiretur.*

Mirificè in rem noſtram exponit doctrinam noſtram Vir Sanctiſſimus: lib. 2. de amore Dei cap. 10. oſtendit, non ſic prævenire Deum humanam voluntatem motione gratiæ ſupernaturalis, ut omnis ſortiatur effectum ſuum omnem, quem Deus intendit, atque ita per ſe, & intrinſecè efficax ſit. Sed ſepiſſime unam, eandemque in uno merè ſufficientem eſſe ob pervicaciam voluntatis, gratiam repellentis, in altero fore efficacem ob conſenſum liberum voluntatis, cum gratia Dei cooperantis.

I° oſtendit id ex ſcriptura S. luc. 11. *væ tibi Coroſaim, væ tibi Bethzaida, quia ſi in Tyro, & ſidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent* "ne ergo grave ſit tibi, Theotime, ex me audire, quòd habitatores Coroſaim "& Bethzaidæ verâ religione inſtructi, & amplis aliarum gratiarum privilegiis, de manu "Dei acceptis præventi, ut ipſos etiam ethnicos ad veræ fidei lumen inducere potue-"rint, nullum tamen ipſi ex omni illa agnitæ veritatis luce animarum fructum perce-"perunt; ſed eam cognitionem incomparabili contumaciâ, & rebellione... projecerunt.

"Dubio procul in die judicii Ninivitæ, & Regina Sabæ ſurgent contra Judæos &c, quia "corde indurati, oblatæ gratiæ reſtiterunt.

Sic porro pergit "ita peragetur judicium comparationis, uti omnes doctores nota-"runt: quæ doctrina non aliud habere poteſt fundamentum, quàm, quòd aliqui pari "favore præventi, vel etiam beneficiis maioribus allecti, quàm alii, nihilominùs divi-"næ miſericordiæ conſenſum denegarunt: alii autem ſimilibus gratiæ donis, vel etiam "minoribus provocati, cœleſti inſpirationi locum dederunt.

2.° Probat id ex S. Auguſtino "S. Auguſtinus, inquit, hiſce noſtris diſcurſibus ſuâ "ratiocinatione, quam inſtituit lib. 12. de ciu: Dei. c. 6. 7. 8. 9. plurimum adfert "claritatis: nam, licet potiſſimùm agat de Angelis, tamen hoc in puncto homines pares "iis facit.

Tum adfert exemplum, quod adducit S. Auguſtinus cap. 9. proponens duos homines eodem modo conſtitutos corpore & animo, eâdem tentatione pulſatos, quorum unus conſentit, alter diſſentit, quod & idem factum oſtendit in bonis, maliſque Angelis.

3.° Probat id ab omnibus, etiam Patribus Tridentinis, recepto dicto: *Deus neminem deſerit, niſi prius deſeratur*: ſic exclamans "ô Deus optime, neminem deſeris, niſi qui "prius te deſeruerit: numquam nobis ſubtrahis tua dona, niſi ubi noſtra tibi ſubtrahi-"mus corda: bona Dei furto ſurripimus, ſi gloriam ſalutis noſtræ nobis adſcribimus, ſed "& Dei miſericordiam dedecore afficimus, ſi eam nobis defuiſſe aſſerimus. Clamat Deus: *perditio tua ex te, Iſraël, tantummodò in me auxilium tuum*.

Cap. 11. oſtendit, non ſtare per divinam bonitatem, quò minùs excellentiſſimum amorem, & perfectionem habeamus. 1.° Sic exclamat: "ô Deus! Theotime, ſi inſpira-"tiones cœleſtes ſecundùm omnem earum virtutis amplitudinem, & extenſionem reci-"peremus, quantos brevi tempore in ſanctitate progreſſus faceremus! 2.° Oſtendit, quòd Spiritus S. omni ex parte, velut *fons aquæ vivæ*, " cordi noſtro ſe applicet, & quaſi "obſideat, ut illud ingreſſus, fluentis gratiæ ſuæ irriget: non tamen vult illud ingredi, "niſi obtento voluntatis noſtræ libero conſenſu. Unde juxta Concilium Tridentinum vocat receptionem gratiæ *receptionem voluntariam*.

" Atque hoc, inquit, ſenſu S. Paulus nos monet, ne gratiam Dei in vacuum reci-"piamus: nam quemadmodùm ægrotus, qui acceptam manu medicinam non ebiberet "neque in ſtomachum demitteret, accepiſſe quidem medicinam diceretur, ſed abſque "vera receptione: recepit ſcilicet modo inutili, & infructuoſo: ita & recipimus gratiam "Dei in vacuum, dum eam ad fores cordis recipimus, & non ad cordis conſenſum: ſic "enim recipimus ſine vera receptione, id eſt ſine fructu, nihil enim prodeſt ſentire in-"ſpirationem, & non conſentire.

3.° Oſtendit, non ſtare à Deo, quò minùs ad ſanctitatem SS. Auguſtini, Franciſci, aliorumque perveniamus, ſed à nobis, qui non conſentimus inſpirationibus divinis ſecundùm omnem earum amplitudinem. Sic enim introducit Theotimum interrogantem: " qui fit igitur, quòd in divino amore non eos facimus progreſſus, quos S. Augu-"ſtinus, S. Franciſcus &c. Theotime, id inde fit, quòd Deus nobis ad id non elargitus "ſit gratiam. At quarè non eſt elargitus? quia ex parte noſtra eius inſpirationibus de-"fuit conſenſus, & mutua conſpiratio; & quarè defuit conſenſus mutuaque conſpiratio? "quia, cum libero præditi eſſemus arbitrio, eo abuſi ſumus.

4.° In rem ſuam oportunè adducit autoritatem S. Franciſci Aſſiſiatis, qui, cum ſe dixiſſet MAXIMVM TOTIVS MVNDI PECCATOREM, Rufino interroganti, quâ veri ſpecie id diceret, " cum plena ſint omnia peccatoribus, qui enormia committunt "crimina: reſpondit: ſi Deus alios illos peccatores tantâ gratiâ, & miſericordiâ præ-

"ve-

"veniſſet, quantâ me prævenit, longè gratiores Deo largitori fuiſſent, multòque meliùs
"Deo ſerviviſſent, quàm ego. Tum ſic proſequitur Saleſius. Scio equidem, eum ex hu-
"militate ſic locutum eſſe. Interim credebat, ipſiſſimam veritatem eſſe: quòd æqualis
"gratia, pari miſericordiâ duobus peccatoribus exhibita, per unum eorum utilius ad ſalu-
"tem poſſit adhiberi, quàm per alterum.

5.° In eandem rem adfert autoritatem B. Thereſiæ, de orationis quiete ſic loquentis:
"complures ſunt animæ, quæ ad hunc uſque pertingunt ſtatum; quæ autem ultra progre-
"diantur, perpaucæ inveniuntur: cuius rei cauſam neſcio. Scio autem certiſſimè, id ex
"parte Dei minimè provenire: divina ſiquidem eius majeſtas nos juvat, eamque nobis
"exhibet gratiam, ut ad hoc uſque punctum pertingamus: quidni autem eadem maieſ-
"tas parata eſſet, nos ulterius promovere, ac provehere, modò obicem, & remoram, quę
"nos retrahunt, non poneremus.

THESIS IV.

Doctrina cœleſtis S. Franciſci Saleſii ***adverſatur doctrina huius autoris de adæquata diviſione amoris rationalis creaturæ in vitioſam cupiditatem, & charitatem caſtam, ex qua actiones omnes, & ſingulæ referendæ ſint in Deum.***

AUtor ille, contra quem agimus, Theſibus de charitate ſtatuit adæquatam diviſionem amoris rationalis creaturæ in caſtam Dei propter ſe dilecti charitatem, & vitioſam cupiditatem mundi, quæ à Joanne prohibetur. Quam doctrinam in Anti-theſibus oſtendi damnatam eſſe à tribus Pontificibus. Ex benevola illa Dei propter ſe dilecti charitate cenſet, actionem omnem, & ſingulam referendam eſſe in Deum intentione formali, vel virtuali, ita ut actio omnis vel charitas illa ſit, vel cupiditas mundi à Joanne prohibita. Contra nobiſcum ſentit S. Saleſius.

Lib. 12. cap. 8: ſic exponit verba Apoſtoli 2. col. 3. & 1ª Cor. 10. "*omne, quodcum-*
"*que facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri IESV Chriſti: ſive ergo*
"*manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Quæ ver-
"ba Apoſtoli, ut dicit Doctor Angelicus, ea explicans, ſunt in ſufficienti
"uſu, & praxi, quando nos poſſidemus habitum ſanctiſſimæ charitatis, per quam, li-
"cet non habeamus expreſſam, & activam intentionem faciendi, quidquid facimus prop-
"ter Deum, habemus tamen implicitè contentam in unione, & communione, quam
"cum Deo habemus, per quam omne bonum, quod facere poſſumus, unà nobiſcum
"dedicatum eſt divinæ bonitati.

Rem declarat exemplo peropportuno: " non eſt, inquit, opus, ut filius in ædibus
"paternis ſub patris poteſtate commorans, declaret, quidquid acquirit, acquirere ſe pa-
"tri. Nam cum is ſit ſui patris; quidquid ab eo dependet, & provenit, ad patrem ſpec-
"tat. Sic & ſatis eſt, nos eſſe filios Dei per delectionem (habitu ſupernali ſcilicet, de quo
"ante) ut quidquid agimus, integrè deſtinatum ſit eius gloriæ.

Tum hortatur nos, ut ad perfectionem majorem, & charitatem habitualem cum praxi
diarum virtutum conſervemus, & prætereà omnia ex motivo charitatis faciamus; uſus
hâc eleganti ſimilitudine: " verum eſt, Theotime, quòd, ſicut oliva plantata juxta vine-
"am, ei communicat ſuum ſaporem; ita charitas, juxta alias virtutes poſita, iis ſuam
"communicat perfectionem: at etiam verum eſt, quòd ſi vitis inſeratur Olivæ, non ſo-
"lùm ei communicat perfectiùs ſui ſaporem, ſed etiam eam facit participem ſui ſucci:

une

''ne ſit ergo vobis ſatis, habere charitatem, & unà cum illâ praxim aliarum virtutum, ''ſed inſuper efficite, ut per illam, & propter illam eas exerceatis, ut ex illi juſtè at-''tribui poſſint.

Non poſſum omittere elegantem, quam rurſum adjicit, ſimilitudinem alteram. ''Quan-''do, inquit, pictor tenet, ducitque manum tyronis, tractus ſeu ductus, qui inde pro-''cedit, præcipuè attribuitur pictori, quia, licet diſcipulus re ipsâ contribuerit motum ''manus propriæ, & applicationem penicilli, tamen & Magiſter ita admiſcuit motum ''ſuum motui tyronis, ut decus, & dignitas rei ei ſpecialiter tribuatur; eſto etiam diſci-''pulus propter facilem manus inflexionem, & agilitatem, quâ motum ſuum accom-''modavit conductui ſui magiſtri, aliquid inde laudis habeat. O quàm excellentes ſunt ''virtutum actiones, ubi divinus amor iis imprimit ſacrum ſui motum, id eſt, tunc, cum ''ex dilectionis fiunt motivo!

Dicit porrò id fieri diverſimodè: 1.º ſpeciali modo ſe Dei ſervitio perpetuo conſe-crando: ut faciunt Epiſcopi, Sacerdotes, Religioſi, & ii, qui per dies aliquot exercitiis ſpiritualibus vacantes, ſeriò proponunt, in omnibus ſequi voluntatem Dei. Tum ad-ducit ſententiam S. Bonaventuræ, docentis, primum illud propoſitum, primamque in-tentionem manere in omnibus actionibus ſubſequentibus; ſicut, ſi quis in animo pro-poſuiſſet dare 100. ſcuta propter Deum, & ea per otium dein diſtribueret, tota illa di-ſtributio cenſeretur fieri per amorem.

,, 2.º Dicit, unumquemque ſemel ſaltem ſingulis annis recognoſcere debere ſuam ,,conſcientiam, & renovare decretum per exercitia ſpiritualia; quod, inquit, familia-,,re, & ſacroſanctum fuit antiquis Chriſtianis; ſed deinde, refrigeſcente charitate, ne-,,glectum; uſque dum magnus Dei ſervus S. Ignatius de Loyola in uſum reduxit, ac ,,revocavit.

Cap. 9. docet, non hic eſſe ſiſtendum'', ut inſignis fiat progreſſus in devotione, opor-,,tet, non ſolùm ſingulis annis offerre vitam noſtram, omneſque actiones noſtras Deo ,,ſed etiam ſingulis diebus, juxta exercitium matutinum.

THESIS V.

Cœleſtis doctrina S. Fanciſci Saleſii *tradit contra hunc autorem multiplicem ex motivis variis rectè operandi modum, & non unum tantùm ex caſta Dei propter ſe dilecti charitate.*

Modus rectè operandi juxta adverſarium unicus eſt, nempe ex charitate caſta Dei popter ſe dilecti: multiplex eſt juxta *Sanctum Saleſium*: 1º enim exhibet nobis triplicem ex tripartito motivo lib. 11. de amore cap. 13. ieiunare, inquit, ad parcen-,,dum ſumptibus eſt bonum; ieiunare ad obſequendum, Eccleſiæ eſt melius; ieiunare, ad ,,placendum Deo, optimum. Idem docet de modo dandi eleemoſynam ex motivis variis. 2º. docet, paganos ſecutos ductum rationis merè naturalis, abſque fide, atque adeò abſque relatione operum in Deum ex charitate caſta, rectè operatos eſſe l. 11. de amo-re Dei cap. 10. ſic habet: ''Apoſtolus certè docet paganos, qui fidem non habent, facere ,,naturaliter, quod lex jubet, & quando faciunt, quis dubitabit, illos bene facere, & ,,quod faciunt à Deo eſtimari? pagani cognoverunt, matrimonium eſſe bonum, & ,,neceſſarium, ac comprimis conveniens, prolem in litteris, & artibus liberalibus in ,,amore patriæ, in vita civili educare, & id, quod cognoverunt bonum, fecerunt. Re-

,,quo

Digitized by Google

,,quo autem tibi conſiderandum, an non id in oculis Dei fuerit bonum, ſi quidem eo ,,fine, eâque intentione lumen rationis, & inſtinctum naturalem communicarat.

Probat id porrò ratione optimâ,& autoritate S. Aug:,,cum, inquit, ratio naturalis ſit ,,arbor bona,quam Deus in nobis plantavit, certè fructus, ex ea provenientes, non poſ- ,,ſunt non eſſe boni; fructus equidem boni ſunt,ſed comparati iis,qui procedunt ex gra- ,,tia, ſunt perquàm exigui pretii,& valoris; ſed non ideó tamen nullius; ſi quidem ,,Deus illos laudavit, & bonis temporalibus; quin & ſecundùm S. Auguſtinum Morales ,,Romanorum virtutes magnitudine, ac magnificâ imperii famâ, exiſtimatione,& com- ,,mendatione apud exteras gentes compenſavit. Non peccaverunt igitur virtutibus iſtis moralibus, ut tamen exiſtimat adverſarius; neque enim fuiſſent fructus boni provenien- tes ex arbore bona.

30. Cum omnis affectus, ſeu amor creaturæ rationalis juxta autorem, contra quem agimus, aut caſta ſit Dei propter ſe dilecti charitas, aut cupiditas mundi, quæ à Ioan- ne prohibetur; rectè ſequitur,ut oſtendi in Anti-theſibus, fidem, ſpem, metum gehen- næ ſervilem & mercenarium, dum deſtituuntur charitate Dei, eſſe cupiditatem malam.

Videamus,quid ſentiat *S. Franciſcus Saleſius*: incipiamus à metu ſervili,& mercenario deſtituto charitate Dei caſtâ lib. 11. de amore Dei cap. 16. ſic loquitur"quantùm autem ,,ad timores ſervorum,& mercenariorum,non procedunt equidem ab amore, ſed ordina- ,,riè præcedunt ipſum amorē, ut ei ſint inſtar prodromorum,& hoſpitii deſignatorum, ,,& iſti ſæpe ſunt perutiles ejus ſervitio... divina bonitas,volens in anima humana collo- ,,care magnam virtutum diverſitatem, & tandem eam exornare ſacro ſuo amore, utitur ,,acu timoris ſervilis,& mercenarii,quâ ordinariè om niū primò corda noſtra pungun- ,,tur & cap. 17. quamvis timor ſervilis,& mercenarius plurimum ſit utilis pro hac vita ,,mortali: & cap. 18. etſi Chriſtus ſalvator venerit,ut adferret nobis legem amoris, non ,,intermiſit tamen inculcare legem timoris. *Timete*, inquit, *illum qui poteſt corpus, & ,,animam perdere in gehennam*...in ſumma timor iſte comprehenſus eſt in donis Spiritus S. ,,ut plures ex antiquis patribus notarunt.

,,Quando igitur hi ſenſus timoris in animis noſtris invaleſcunt, ut ex finibus noſtris ,,exterminent, propellantque affectionem, & voluntatem peccandi, ut ſacrum Trid: ,,Concilium loquitur, ſunt illi magnopere ſalutares: *nos concepimus* ex timore tuo, O ,,*Deus, & peperimus ſpiritum ſalutis* dicitur apud Jſaiam.

Tum profert timorem aliquem, qui non excludat voluntatem peccandi, qui, ut di- cit,"nequam eſt, & ſimilis timori dœmonum, qui ſæpe ceſſant nocere, timentes, ne ex- ,,crucientur exorciſmis; non intermittunt tamen deſiderare,& velle malum.

Profert & timores tres, qui boni ſint,excludantque voluntatem illam: 1. eſt *ſervilis*, 2. Mercenarius. 3. filialis. audiamus.

,,Timor eorum, qui,velut ſervi, & mancipia Dei,legem obſervant, ad evitandas in- ,,ferni pœnas, eſt bonus,ſed longè nobilior,& deſiderabilior eſt timor mercenariorum ,,Chriſtianorum, qui velut ſervi, pactâ mercede, fideliter laborant, non equidem ,,principaliter propter aliquem amorem, quem jam habeant adverſus ſuos dominos, ,,ſed ut ſalarium compenſæ loco ſibi promiſſum conſequantur. Tum pluribus oſtendit, timorem filialem duobus prioribus eſſe perfectiorem.

,,Sed, inquit,"Novitii,& Tyrones in ſervitio Dei, quando inter aſſultus, quos illis ,,inimici inferunt in principio, ſe velut perditos deprehendunt; non ſolùm adhibent ,,timorem filialem, ſed etiam mercenarium,& ſervilem, &, ut poſſunt, ſe firmant. Si- milia habet l. 2. Non poteſt igitur timor ille ſeruilis, & mercenarius, licet non ſit Dei caſta propter ſe dilecti charitas,eſſe mundi cupiditas; ſed amor quidam medius bonus,

ho-

honeſtus, utilis. & ſalutaris. Videamus, quid ſentiat de ſpe.l. 2. de amore Dei cap. 17. hunc præfigit titulum:"quòd amor ſpei ſit valde bonus, licet imperfectus:tum ſic incipit: ,,amor, quem in ſpe exercemus, Theotime, tendit quidem in Deum, ſed ad nos reverti-,,tur; ſpectat divinam bonitatem, ſed cum reſpectu ad noſtram utilitatem; tendit ad ,,ſupremam perfectionem, ſed reſpicit noſtram ſatiſfactionem: id eſt: non transfert nos ,,in Deum, quà Deus in ſemetipſo ſummè eſt bonus, ſed quà ſummè bonus eſt adver-,,ſus nos ipſos.

,,Amor igitur ille, quem vocamus ſpem, eſt amor concupiſcentiæ, ſed *CONCVPIS-,,CENTIÆ SANCTÆ, ET BENE ORDINATÆ,* per quem non trahimus Deum ad nos, ,,ſed ei nos jungimus, ut finali noſtræ felicitati... quam obrem igitur, Theotime, amamus ,,Deum hoc amore concupiſcentiæ? quia eſt bonum noſtrum. Sed cur amamus ſummè? ,,quia ille eſt ſummum bonum noſtrum. Porrò quandó dico, ſummè à nobis amari, non ,,dico, eum à nobis amari reſpectu ſummi amoris: nam ſupremus amor non eſt, niſi in ,,charitate: amor autem, qui eſt in ſpe, eſt imperfectus, eò quód non tendat ad ejus in-,,finitam bonitatem, *quà talis eſt in ſeipſa.* Cum ergo juxta *S. Saleſium* amor ille ſpei ſit *bonus*, ſit *Sancta & bene ordinata* concupiſcentiæ, non poteſt eſſe cupiditas mundi, quæ à Ioanne prohibetur.

THESIS VI.

Cæleſtis doctrina S. Franciſci Saleſii *nobiſcum adverſatur doctrina huius Authoris, quam tradit de amore Dei continuo ſuper omnia prædominante.*

Autor, contra quem agimus, ut probet primum, maximumque mandatum de diligendo Deo, obligare ſub peccato mortali ad eliciendum actum præcipuum amoris Dei prædominantis ſuper omnia à primo inſtanti uſus rationis, & dein ſequentibus continuandum morali modo loquendi, *ita ut toties exerceatur actus ille, ut quovis tempore verè dici poſſit: hic Deum amat ſuper omnia: hic Deum amat uſque ad contemptum ſui: regnat in hoc homine Dei charitas, non mundi cupiditas* &c. ita ut ſic poſſideatur totum cor hominis ab amore Dei ſuper omnia, ſicque Deum amet, ut avarus divitias, cuius totum cor poſſidetur ab amore divitiarum: neque huic obligationi fiat ſatis per quemdam habitum otioſum: ut, inquam, id probet, adducit autoritatem S. Saleſii Lib 10. de amore Dei c. 6. *nobis injungit (Deus) amorem electum ex millibus, ſicut dilectus huius amoris eſt electus ex millibus, ut dilecta Sunamitis notavit in cantico. Eſt amor, qui omnes amores debet excellere, & regnare ſuper* omnes noſtras *paſſiones, & hoc eſt, quod Deus à nobis requirit, ut ſcilicet inter noſtros amores ipſius comprimìs nobis cordi ſit, ſoluſque dominetur in cordibus noſtris.* Id totum veriſſimum eſt: ubi enim obligat primum, maximumque mandatum, talis excellentiæ amor exerceatur, neceſſe eſt. At nuſquam dicit, eum debere eſſe continuum: appretiativè debet dominari ſuper omnia ita, ut creaturam omnem, omnemque ejus amorem poſtponas amicitiæ divinæ, iſque amor habitu ſupernaturali continuandus eſt, ut vult S. Saleſius. audiatur. Lib. 4, c. 3"non amamus, inquit, Deum *CONTINVO*, & *ABSQVE INTERMISSIONE*, quia in hac vita mortali "charitas ineſt nobis per modum ſimplicis *HABITVS*, quo, ut notarunt philoſophi "utimur ad noſtrum beneplacitum.

Continuus ille amor obtinebitur in patria, quem vir ſanctiſſimus cenſet eſſe ſummè perfectum amorem, non exſpectandum in hac vita mortali. Audiatur l. 10. c. 2"certè in "cœlo cor liberum à paſſionibus, animam expurgatam à detractionibus, ſpiritum expedi-

"peditum à contradictionibus, & vires ſolutas ab omni reniſu habebimus. Ideóque ibi "per continuam, & numquam interrumpendam dilectionem Deum amabimus... verùm "prætendi, & exſpectari non debet in hac vita mortali amor ſummè perfectus.

Tunc porró in hac vita mortali amamus Deum ex toto corde: neque ex eo amor ille, habitu ſupernaturali perſeverans, evellitur, niſi ametur id, quod poſitivè adverſatur amicitiæ divinæ:"nullus, inquit c. 3. amor tollit corda noſtra à Deo, niſi ille, qui eſt ei "contrarius.

Docet igitur S. Doctor, & nos cum eo, amorem Dei, quem exigit primum, maximumque præceptum, debere eſſe appretiativè ſuper omnia, eumque debere habitu ſupernaturali perſeverare, ita ut, quovis caſu ſuperveniente, omnia amicitiæ ejus poſtponas. Non exigit autem, ut nihil intenſiùs, nihil frequentiùs poſſit amari; audi eodem l. c. 7. "ſæpiſſimè, inquit, accidit, ut multiplicet (homo) longe magis actus amoris ſui erga "creaturam, quàm dilectionis erga creatorem, & tamen ſacra dilectio non propterea "deſinit excellere, & alios omnes ſuperare, ſicut conſtat ex eventis, quandó creatura ſe "opponit creatori: nàm tunc imus in partem, & ſententiam ſacræ dilectionis, eique om"nes affectus noſtros ſubmittimus. Ecce amorem creaturæ frequentiorem, quàm ſit amor creatoris, & tamen hic appretiativè ſuper omnia habitualiter perſeverans, & prodiens in actum, ubi neceſſe eſt, vel creaturam, vel Deum deſerere; eam deſerendo præ Deo, ejuſque amicitiâ ſatisfit primo, maximoque mandato: modò ſæpius in vita iteretur, ubi urget præceptum. Ad hæc conſidera modò, & amorem creaturæ intenſiorem, quàm ſit amor creatoris, neque tamen prædominantem juxta S. Saleſium.

"Videbis, inquit, matrem quampiam, ita occupatam circa aliquem ſuum infantem, ut "videatur non habere ullum alium amorem, quàm illum, quo eum complectitur, non "alios oculos, quàm ad eum intuendum, non os aliud, quàm ad eum oſculandum, non "pectus, quàm ad eum lactandum, non aliam ullam curam, quàm ad eum educandum: "atque id uſque adeò, ut ab ea maritus præ infante nihili fieri videatur.

"Attamen, ſi veniendum eſſet, ad electionem, alterutrum illorum amittendi, illicó "appareret, illam pluris æſtimare maritum; & amorem quidem erga infantem tenerio"rem fuiſſe, urgentiorem, majorique paſſione exercitum, alterum nihilominùs in "maritum fuiſſe excellentiorem, fortiorem, & meliorem: ita quoque, ubi cor aliquod "amat Deum ob infinitam ejus bonitatem, quantumvìs parum habeat de excellenti iſta "dilectione, præferet tamen Dei voluntatem rebus omnibus: & in omnibus, quæ ſe "offerent, occaſionibus, alia omnia deſeret, ut ſe conſervet in gratia ſupremæ bonitatis.

"Neque obſtat, quód divinus amor non ita premat, neq; ita tenerè ſemper cor afficiat, "ut amores alii: nam in occaſionibus occurrentibus actiones exhibet ita ſublimes, & ex"cellentes, ut una plus valeat, quàm decem milliones aliarum... Amores, qui habentur "ad creaturas, abundant quidem ſæpè multitudine, ſed ubi ſacer amor opus ſuum exe"quitur, ita eminenter id facit, ut omnia ſuperet; efficit enim, ut Deus rebus omnibus "præferatur abſque ulla exceptione.

Vides, S. Franciſco ſufficere, amorem Dei eſſe appretiativè ſuper omnia; licet amores alii longè frequentiùs, teneriùs, intenſiùſque exerceantur. Atque hoc unum vult vir ſanctiſſimus illo teſtimonio, quod adducit autor Theſium de charitate concl. 9.

Sed & contra eum aſſerit, amorem illum ſuper omnia per ſe ſufficere ad ſalutem, atque adeò eſſe juſtificativum, illo ipſo teſtimonio, quod adducitur ad adverſario. Audiatur, cap. 6. ejuſdem lib. 10"in ſumma eſt, inquit, amor excellentiæ, vel excellentia "amoris, qui omnibus mortalibus in genere, & in ſpecie, ſeu generaliter, & particulariter "unicuiq; mandatus eſt, & hoc à primo momento, quo incipiunt uti ratione: *ſufficiens*

cui-

"cuilibet, & neceſſarius ad ſalutem. Ecce ſicut neceſſarius, ſic ſufficiens eſt ad ſalutem: atqui amor, qui per ſe non ſufficit ad juſtificationem, non poteſt ſufficere ad ſalutem: ergo contra hunc autorem cenſet Saleſius, amorem illum per ſe ad juſtificationem ſufficere. Cap. 7. ſubnectit, de illo amore numquam nos poſſe eſſe omninò certos *certitudine fidei*, ſicut nemo poteſt eſſe certus *certitudine fidei*, ſe eſſe in gratia, ut docet Concilium Trident.

THESIS ULTIMA

Cœleſtis doctrina S. Franciſci Saleſii *de amore beatifico, oppoſita doctrinæ hujus autoris.*

AUtor ille in famoſo ſuo compendio, & alibi docet, amorem beatificum eſſe actum humanum, eumque magis eſſe liberum à neceſſitate, quàm ſit ullus actus puri hominis viatoris, ſive bonus, ſive malus; & tamen nequeunt, ut docet, beati ceſſare ab amore illo, niſi ſub conditione impoſſibili, ſi quid Deo melius proponeretur.

Contra cenſet S. Franciſcus Saleſius l. 10. de amore Dei cap. 10. probatque doctrinam ſuam ex ſcripturis ſacris. Audiamus. Voluntas dedicata, &, ſi ita loquendum ſit, ſic ,,conſecrata eſt bonitati, ut, ſi bonitas aliqua infinita clarè ſit illi propoſita, impoſſibile ,,ſit, niſi impediatur miraculo, quo minùs ſummè illam amet; ita beati rapiuntur, & ,,neceſſariò, nullâ tamen vi adhibitâ, diligunt Deum, dum clarè vident ſummam ejus ,,pulchritudinem: quod Sacra Scriptura apertè ſatis oſtendit, quando comparat gaudi-,,um, & lætitiam, quâ perfruuntur habitatores Hieruſalem, torrenti, & fluvio impetu-,,oſo, quorum undæ cohiberi non poſſunt, quò minus ſe effundant ſuper occurrentes ,,planities. Ecce juxta S. Saleſium non eſt in amore beatifico libertas à neceſſitate, ſed tantùm à coactione: ſubſumo: atqui in actionibus noſtris bonis non admittere libertatem à neceſſitate, ſed tantùm à coactione, hæreticum eſt, ut conſtat ex conſtitiobus Innocentii X, & Alex. VII ergò qui in actibus noſtris bonis, & malis non plus libertatis, quin & minus admittit, quam ſit in amore beatifico, videat, quid juxta Saleſium ſit conſequens.

IMPERTINENS

Nemo poteſt uenire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum. Jois. 6.
Nemo poteſt dicere Dominum JESUM *Chriſtum, niſi in Spiritu S.* 1 Cor. 12.
Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis. Jois 8.

Adjutorium Dei, etiam in renatis, & Sanctis, ſemper eſt implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono poſſint opere perdurare. Quibus utitur Arauſicanum 2, ut contra Pelagianos probet, non ſufficere *poßibilitatem naturalem*, ſeu POSSE NATURÆ, abſque gratia ſupernaturali, ut quis dicatur liberè poſſe exercere actus fidei, ſpei, charitatis, &c, prout expedit ad vitam æternam: quiſquamne modò contra audeat? an *verè liberi ſumus* ad actus illos ſupernaturales, *ſi vos Filius non liberaverit?* Pelagianus ſic exiſtimet: nos aliter.

AD MAJOREM DEI GLORIAM

Digitized by Google